

duellum & conflictus animorum patris & patriæ! anceps & pulchra contentio,
hinc & inde certantibus argumentis. Mirabilis exitu clarus triumphus patriæ
cescit. Hoc est esse Principem urbium, privatis anteponere publica, & com-
munem quietem suæ. De omnibus ut filiis bene mereri: sciant omnes te-
tam supra se esse, quam pro se: Supra se tanquam imago & exemplar DEI,
pro se tanquam pater, tanquam nutricius, tanquam amator generis humani;
non solum, ut præsit; sed magis, ut prosit. Augustus Cæsar tantus cum es-
se, ut triumphos contemneret, ita se republica induerat, ut diduci alterum
non posset sine utriusq; pernicie. ipse erat animus, illa corpus. Tutorem
se agebat status, ut animus corporis. Et ut amicus agit partes amici, nam
Vetus proverbium est communia esse amicorum inter se omnia. Sic Con-
stantius, Pater Magni Constantini, cum Diocletianus coargueret inopiæ, cum
tamen Cæsar esset; respondit, sui imperii opes & populorum suas esse divi-
tias. Quod ipsum re comprobavit, exiguo enim post intervallo totius Galliæ
divitias & opulentiam curribus & vehiculis onustis ostentavit, & privatas pu-
blicas esse duxit. Stupuit attonitus Diocletianus tot opes exiguo spacio con-
gregatas. Tantæ potentæ est amari à subditis. Amor facit omnia commu-
nia. At quid factum? Magnificentæ Regiæ dona, ut magnificè collecta,
ita & majori virtutis administratione restituta. Meæ (inquit:) opes sunt
opes Galliæ; meus census, & patrimonium arrepto imperio, meum est, quod
fortunatus amor meum fecit. Uno tamen felicior sum, quod lever ærarii
fastidiosa custodia. Patris partes agit cum nobilissimo patris officio defun-
gitur. Paternum animum Tyberii Cæsaris in turbam militarem miraberis,
quam Paterculus expresit, dum ait: *per omne belli Pannonici tempus nemo è
militibus cujuscunq; gradus imbecillus fuit, cujus salus & valetudo non ita susten-
taretur Cæsaris cura, tanquam huic uni vacaret; districtissimus tanta operum
mole erat desiderantibus paratum vehiculum, lectica ejus publica &c.* Nullius
non succurrit valetudini. Audi Dionem de Trajano, de quo & Suidas.
*Princeps in pralio multos vulneratos curabat. Cum autem fascia & velamina
deficerent, nec sua pepercit vesti, sed eam totam in ligamenta & fomenta disci-
dit.* O mirabile factum; nec altius ire potest. Hujusmodi volo Principes
in suos. Vulnera suorum curent. Quod si absq; vulnere curare non pos-
sunt, mollissimo genere poenæ sint contenti, & quocunq; venerint, omnia
faciant mansuetiora. Meminerint nullum animal homine morosius, nec
majori arte tractandum. Si bestias perpetuis aculeis irritaris, omnino in-
contumaciam profiliunt. Multo magis animus hominis ad libertatem na-
tus continua trepidatione contenditur, & tandem frenum excutit; Si durius
imperaveris jumenta quoq; continuis verberibus lacescita coguntur jugum de-
tractare, nec ferre lesorem suum, num homines ferrent? Quid animi viro,
cui multum terroris, spei relictum? utiq; aliena manu utetur. Desperatio
enim omnia svadet experiri ac tentare. Volenti mori quid arduum? Quare
non solum liberis, sed etiam mancipiis ex ratione imperandum, memineris
ingenuos tibi datos in tutelam, non in servitutem. Cur tibi est credita salus tu-
orum? an ut morbum exasperes? cur non molli uteris? multa supplicia haud glorio-
sa: sed multorum salus cum servari potuerunt, Placido præsidi fida sunt sua auxilia,
quibus ad suorum salutem utitur. Quam decorum sidus sit clementia natura